

Missas solennes de Requiem à benefactoribus arbitrio Capituli relictas, vel grati animi causa à Capitulo institutas, Negative: Sed, attentis justis ipsius Capituli precibus: pro gratia, si SSmo. Domino Nostro placuerit, expedienda per Litteras Apostolicas cum clausulis tamen, et conditionibus, dummodo secundo dictae Missae de Requiem non celebrentur in duplicibus primae, et secundae classis, nec non diebus festivis, etiam quoad forum, ac nisi post currentis diei Officium in Choro persolutum. Et ita declaravit. Die 10 Decembris 1733.

249. *Regulares ordinis Minimorum, dum in oratione S. Franciscum, praefati ordinis fundatorem, nominant, non debent adungere de Paula. S. R. C. 23 Decembris 1624. Hoc decretum est generale: nam S. R. C. 5 Maii 1736, statuit, ut sequitur: ab orationibus expungenda sunt cognomina et patriae Sanctorum: undè 31 Januarii omitti debet Nolasco; 8 Febr. de Matha; 2 April. de Paula; 31 Aug. Nonnati; 10 Oct. de Borgia; 29 Jan. in oratione S. Canuti omitti debet Danorum; 18 Jun. in oratione S. Margaritae, Scotiae; 23 Feb. in oratione S. Margaritae de Cortona. Exprimi tamen debent nomina ut vocant, characteristic, qualia sunt Joannis Chrysostomi, Petri Caestini, et*

Petri Chrysologi: quibus jungitur Joannes Gualbertus.

250. Magister caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lucanae humillime S.R.C. supplicavit pro declaratione sequentis Dubii, nempe.

An sit laudandus Parochus, qui in feria VI in Parasceve, dum defert SSimum. Sacramentum ad domum sui parochiani infirmi, pro ministrando ei Viaticum, per vias publicas recitat consuetos Psalmos, sed in fine illorum omitti V. Gloria Patri, et ingressus Ecclesiam statim reponit sacram Pyxidem, et dimittit populum absque benedictione?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Non est reprobandus Parochus, qui defert SSimum. Viaticum infirmo feria VI. in Parasceve, dummodo private, et submissa, quinimo submississima, voce recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat, V. Gloria Patri &c.; quia in tali circumstantia actio talis nihil habet esse cum functionibus Ecclesiae hujus diei, et considerandum est, quod defert cum stola, atque pluviali albicoloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae func-*

tionibus: idē que si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum absque benedictione dimittat feria VI. in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi. Ita decrevit, Die 15 Maii 1745

251. Cum contingat saepius in Ecclesiis Regularium, vel aliis praesertim in die obitus, seu Anniversario defunctorum, Missas celebrari à confluentibus Sacerdotibus, supplicatur declarari: An Sacerdotes, qui recitant Officium de Festo duplici confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas defunctorum? Item recitantes Officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi nulla ibi sit solemnitas?

Ad 13. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, etiam quoad Missam, quae non poterit celebrari de Sancto Confessore, si color fuerit rubeus. Et ita decrevit S. C. R. Die 7 Maii 1746.

252. Dum fit expositio SSmi. Sacramenti ratione solemnitatis ad populum in Dominicis privilegiatis, vel aliis, qualis adhiberi debeat color in Missis celebrandis de

Dominica ad Altare majus, ubi manet expositum SSmum. Sacramentum; an albus competens salemnitate, ratione expositionis SSmi. Sacramenti, an violaceus?

Ad 3. In Altari, ubi est publice expositum SSmum. Sacramentum, si celebretur Missa diei, celebrari debet cum paramentis Festo, seu Officio convenientibus.

253. Utrum Sacerdos saecularis, vel regularis habens Officium duplex, et quid si duplex primae, vel secundae classis celebrans in aliena Ecclesia ex devotione, ubi celebratur Festum solemne, debeat ne celebrare Missam conformando se illi Ecclesiae, ubi celebrat, etiam quoad solemnitatem, et colorem paramentorum?

254. Utrum etiam Sacerdos saecularis, vel regularis habens Officium duplex, et quid si duplex primae, vel secundae classis celebrans in aliena Ecclesia ex obligatione in sepultura solemni alicujus cadaveris, vel exequis solemnibus, debeat se conformare illi Ecclesiae, celebrando Missam de Requiem?

Ad 10., et 11. Serventur Decreta alias edita in una tertii Ordinis S. Francisci 11. Junii 1701., et Sacerdotes tam saeculares, quam regulares conformare se debent ritui Ecclesiae, in qua celebrant.

255. Invaluit consuetudo in Regno Poloniae celebrandi Missam de Requiem in solemnibus Sepulturis, praesente cadavere, in festo dup. min. non tamen celebri, utrum hoc licite tolerari possit?

Ad 12. *Missae privatae de Requiem, etiam corpore praesente, et insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis à Rubrica exceptis, et quaecumque consuetudo in contrarium, abusus esse declaratur; Missa tamen unica solennis, insepulto corpore, celebrari poterit etiam in Dominicis, et festis diebus, non tamen sollemnioribus primae classis.*

256. Utrum in majore hebdomada, excepto triduo ante Pascha, et biduo post, et infra Octavam Paschae, et Pentecostes, ac etiam in Festis duplicibus primae classis, non tamen celebribus, possit cantari Missa unica solennis de Requiem in sepultura cadaveris?

Ad 13. *Affirmative.*

257. Quanam dicenda sit Missa in die obitus, vel depositionis alicujus defuncti Sacerdotis; prima, quae est pro Episcopis assignata, ut in commemoratione omnium Fidelium defunctorum cum Oratione; *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes &c.* an illa quae est secundo loco posita, quae est in

die obitus, seu depositionis in communi cum Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes;* et insuper quanam dicenda sit Missa in exequiis solemnibus post sepulturam cadaveris?

Ad 14. *Una, vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris, vel Anniversaria pro Sacerdote defuncto, dummodo Oratio pro eo designanda: Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes &c., omnino adhibeatur. Et ita declaravit S. C. R. Die 29 Januarii 1752.*

258. An in elevatione SSmi. Sacramenti in Missis solemnibus cani possit *Tantum ergo &c.*, vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria?

Ad 6. *Affirmative, et amplius.*

259. An à Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missae, priusquam Sacerdos eandem Missam celebraturus ad Altare pervenerit?

Ad 7. *Negative, et amplius. Ita decrevit S. C. R. Die 14 Aprilis 1753.*

260. An liceat Clericis Seminarii uti pileolo, quando sedent in Choro praesentibus Canonicis, tam absente; quam praesente Episcopo, seu potius sit servanda assera consuetudo in casu &c?

Ad 12. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.*

261. An dum Episcopus in Missa pontificali, signanter dum recitat psalmum: *Judica me Deus &c.*, et in aliis functionibus stat vel permanet genuflexus, ipsius Caudatarius debeat dimittere caudam cappae, aut vestis Episcopalis, ut Assistens, caetarique Canonici transire valeant ante ipsum Caudatarium in casu &c?

Ad 15. *Affirmative.*

262. An omnes Canonici in Choro praesentes Feria VI. in Parasceve, teneantur accedere ad adorandam Crucem ante gradus Altaris majoris in casu &c?

Ad 17. *Affirmative.*

263. An etiam ad id teneantur Canonici mala corporis valetudine laborantes in casu &c?

Ad 18. *Negative, praevia licentia Episcopi.*

264. An, et qua poena puniendi sint non accedentes ad Crucis adorationem in casu &c

Ad 19. *Punctandi erunt tamquam absentes à Choro. Ita decrevit S. C. R. Die 15 Septembris 1753.*

265. An Missae de Requiem possint cantari in nostris Ecclesiis [Sancti Francisci] pro Benefactoribus defunctis (qui apud nos non

sepeliuntur) in die obitus illorum, occurrente Festo duplici minori, et majori, sed non de praecepto, seu festivo?

Ad 13. *Affirmative.*

266. Quinam pro Doctoribus Ecclesiae intelligendi sint, an quatuor Primarii dumtaxat, sive etiam alii posteriores?

Ad 2. *In casu, de quo agitur intelligendos illos, in quorum Officio Ecclesia utitur Antiphona=O Doctor optime &c.*

267. Cum in nova constructione Ecclesiae Cathedralis Brixinen. Imagines et Tituli, Altarium antiquitus consecratorum translati fuerint de uno loco ad alium, non amota tamen à primaevo loco mensa jam consecrata, quaesitum fuit à Capitulo, et Canonici Ecclesiae: An Altaria, à quibus alio translati fuerint Tituli, et Imagines, remanente tamen mensa consecrata nova indigerent consecratione?

Et S. R. C., ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondit: *Eadem Altaria non indigere nova consecratione, cum Altaria non Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum dedicerentur.*

268. Exposito S. R. C. à Sacerdote Joanne Mattheo Sassi Canonico Theologo Ecclesiae Cathedralis Imolen. abusum dudum irrepsisse in hac Ecclesia canendi Missam


Conventualem de Feria tam in Quadragesima, quam in quatuor Temporibus, et Vigiliis ante Tertiam, et Missam de Sancto post Nonam contra litteram Rubricarum Missalis.

S. R. C. ad removendum hujusmodi abusum, aucta prius Rmi. Episcopi informatione, ad relationem Emi., et Rmi. Dñi. Cardinalis Tamburini dictae Sacrae Congregationi Praefacti, et Ponentis, censuit: *Quoad horam celebrandi Missam Conventualem de Sanctis, et de Feria servandas esse Rubricas Missalis, et amplius. Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 7 Julii 1759.*

269. Porrecto S. R. Congregationi nomine Capituli, et Canonorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Venusinae, suplici libello pro resolutione sequentis Dubii.

An Missa conventualis, attenta immemorabili consuetudine, cani possit post Nonam, non obstantibus Rubricis generalibus Missalis in contrarium disponentibus?

Sac. Congregatio, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit: *Negative, et quoad horas celebrandi Missas conventuales de Sanctis, et de Feria, servandas esse Rubricas Missalis. Et ita declaravit, ac servari mandavit. Die 9 Augusti 1760.*



NOTAS.

HABIENDO advertido algunos yerros que se cometen, tanto en la celebracion del santo sacrificio de la Misa, como en algunos otros ritos de la Iglesia, me he determinado agregar en este cuaderno algunas advertencias tomadas del Ritual Romano, y de uno de los mejores AA. Rubricistas, como el famoso Gabanto con Merati.

Sea la 1ª Gabanto dice: que la Misa ha de celebrarse con cinco letras, que son A. esto es, alta para que se oiga; pero no á gritos, como algunos hacen perturbando tal vez á otro Sacerdote que esté en algun altar inmediato, y distrayendo al Pueblo con su voz demasiado alta, pues esto es expresamente contra las Rúbricas generales Titº 16, § 2. B. Esto és, breve, que no pase de media hora ó poco mas.